



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## **Universitätsbibliothek Paderborn**

### **Semicenturia Variarum Resolutionum Moralium Pro Foro Interno, Atque Externo**

**Heislinger, Anton**

**Monachii, 1745**

Casus XXII. De Jejunio ex voto.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-40155**

betur in libello rationum, non fuerit determinatè assignatum, ut solvendum ex huiusmodi granario; quòd ista solutio peti possit tum ex isto, tum ex aliis ad comunitatem pertinentibus granariis; atque reliquorum granariorum frumenta adhuc restant: ergo ex illis salarium peti poterit: uti enim bene advertit Pater Melchior Friderich, de emptione & venditione: quando res indeterminata juxta conventionem sumi debet ex aliqua determinata collectione: v. g. tres modii ex hoc acervo tritici, vel ex tribus granariis, & tota ista

collectio non perit, sed aliquid ex eo residuum mansit, quòd creditori tradi possit; istud eisdem tradendum erit, quia creditor sibi comparavit jus non tantum ad frumentum in huiusmodi determinato granario asservatum, sed in omnibus ad comunitatem spectantibus.

Omnibus itaque in utramque partem allatis, atque examinatis rationibus, salvo meliore iudicio, pupilli justè exigere residuum adhuc, & defuncto suo parenti necdum adhuc persolutum frumentum poterunt.



## Casus XXII.

### *De jejunio ex voto.*

**C**Ajus obligatur ex voto ad jejunandum die Mercurii, prima vice sive culpabiliter sive inculpabiliter, comederat carnes: memor sui voti etiam secunda & tertia vice eadem die, & quidem distinctis vicibus comedit carnes.

Quær. Utrum cæteris distinctis vicibus comedens carnes peccaverit?

### Synopsis.

1. In dubio de voventis intentione materia rei promissæ consideranda erit.
- 2.

2. Natura jejunii Ecclesiastici declaratur.
3. Plura distincta possunt diversis modis promitti.
4. Principaliter promissum erit præstandum, etiam si corruerit accessorium. Plura per modum unius promittens, si hoc implere queat, etiam ad partes non tenebitur.
5. Attendendum hic & nunc erit, qualiter unica comestio & abstinentia à carne promissa fuerit.
6. Abstinentiam à carnibus semper & pro semper non promittit Cajus primò per se principaliter ac independenter ab alio, sed dependenter à jejunio, & prout ad hoc abstinentia essentialiter est requisita.
7. Semel comesta carne etiam culpabiliter ad ulteriorem abstinentiam nulla amplius datur obligatio.
8. Eò quòd amplius observari jejunium nequeat, quia abstinentia carniùm pro tota tali die non est ulteriùs possibilis.
9. Abstinentia carniùm semper & pro semper in tantum est promissa, in quantum est aliquid ad hujus essentialiam necessarium.
10. Jejunium vult quidem, ut non comedamus carnes, si velimus, & adhuc possimus jejunare, non itidem si possimus.
11. Vovens, se die Mercurii nunquam bibiturum vinum hoc semel sumpto potest bibere vinum, non autem ille, qui vovit se pro nulla parte bibiturum vinum.
12. Non obest nostræ sententiæ, quòd violans jejunium ab Ecclesia præceptum comedendo semel teneatur ab istis deinceps abstinere.
13. De ratione jejunii Ecclesiastici est quidem in omnibus talis diei partibus abstinentia à carnibus, sed tantum dependenter à negatione jam semel comestæ carnis.
14. Præceptum jejunii Ecclesiastici, ut præceptum solius jejunii non est duplex virtualiter.
15. Abstinentia à carnibus etiam post has semel comestas non amplius est de essentia jejunii.

16. Bis comedens carnes esuriales cur non absolvatur à carniū abstinentia?
17. Ad jejunium à communitate promissum quandonam etiam aliàs à jejunio Ecclesiastico exempti teneantur?
18. Vovens jejunium communiter promittit abstinentiam à pane & vino tantum accessorie.
19. Vovens peregrinationem nudis pedibus instituendam principaliter vovit ipsam peregrinationem, alterum vero tantum accessorie.

§. Unicus.

### Resolvitur Quæsitum.

*Utrum cateris distinctis vicibus comedens carnes peccaverit?*

**P**RO resolutione casus supponimus primò, in dubio de voventis intentione inspiciendam esse materiam rei promissæ, votumque juxta ipsius materiæ promissæ naturam & conditiones explicandum & observandum esse: nam juxta Suarezium *lib. 4. de voto cap. 7. n. 2. &*

*6. item Laymanum lib. 4. de voto. cap. 3. num. 5.* Quilibet præsumendus est velle subire obligationem materiæ promissæ accommodatam: Cum igitur Cajus promiserit jejunium, in forma jejunii Ecclesiastici hoc observare debet.

Secundò. Cum jejunium Ecclesiasticum juxta Authores sit abstinentia à certo genere ciborum, sub una comestione, quæ sub meridiem est suscipienda, concessorum, hinc infertur Cajum unica comestione debere esse contentum, abstinere insuper ab illis cibis, carnibus scilicet &c quos die esuriali comedere jejunii essentia non permittit.

Sciendum 3. Plura distincta posse diversis modis promitti: vel per modum unius, ut unum totum constituentia. Item unum illorum ut principale, alterum vero duntaxat ut aliquid accessorium & ab isto dependens: vel possunt plura promitti seorsim etiam accepta, non ut facientia unum totum, neque ita, ut unum tanquam principale alterum vero ut accessorium sit promissum.

4. Si

4. Si unum ut principale fuit promissum juxta communem ad hoc præstandum ipse vovens obligatus erit, licet accessorium ob sui impossibilitatem implere nequeat, eò quòd accessorium non trahat post se principale, quod tamen facit principale respectu accessorii; prudenter enim, ut asserit Bonacina *disp. 4. q. 2. §. 4.* præsumitur, quòd ad accessorium se tantum voluerit obligare dependens à principali. Pari modo, qui plura per modum unius totius promisit, si totum hoc implere nequeat, etiam à partibus ponendis absolutus erit.

5. Attendendum igitur modò erit, qualiter noster Cajus unicam refectionem & abstinentiam à carnibus semper & pro semper promiserit; num hanc perpetuam abstinentiam primò & per se & quoad se seorsim spectatam, ac independenter ab alio principali promiserit, an verò tantum dependenter ab alio, vel prout hæc abstinentia est pars integri cujusdam totius.

6. Dico itaque primò Cajus abstinentiam à carnibus semper & pro semper non promisit primò & per se, principaliter, ac in-

dependenter ab alio, sed dependenter à jejunio, & prout est aliquid essentialiter requisitum ad jejunium.

Prob. Si Cajus, cum hoc votum ederet, interrogatus fuisset, cur abstinentiam à carnibus semper & pro semper tali die voveret, respondisset, quia volo jejunare, & jejunare non possum, nisi semper & pro semper abstineam à carne: ergo hanc abstinentiam præcisè vovit, quia est aliquid necessarium constituens totum, quod est jejunium.

Prob. 2. Quod promittitur præcisè tanquam aliquod medium ad intentum finem, promittitur solùm accessoriè, & dependenter ab altero: sed abstinentia à carnibus semper & pro semper fuit præcisè promissa ut medium ad observandum jejunium: ergo solùm accessoriè fuit promissa.

Confirm. Abstinentiam à secunda refectione præcisè promisit, ut est aliquid necessarium & requisitum ad jejunium: ergo etiam taliter promisit abstinentiam carniùm, scilicet non primò & per se.

Dico 2. Si Cajus vel culpa- 7  
E e 3 bili-

biliter, vel inculpabiliter semel comedit carnes, tunc probabiliter non est amplius obligatus ad ulteriorem abstinentiam à carnibus. Ita Sanchez *lib. 4. c. 11. n. 42.* Diana *tract. 14. resol. 32.* Pasqualigo *in praxi de jejunio, decisione 65, n. 3.* Faustus, Pasqualigo *de-457.* Leander *de præcept. Eccl. tract. 5. disp. 2. q. 30.* Laym. *lib. 4. tract. 4. c. 3. n. 3.* Tambur. *l. 3. cap. 15. §. 6. n. 12.* contra Suarezium *lib. 4. de voto cap. 7. n. 9. & 12.* Palaum *de essentia & oblig. voti, disp. 1. p. 12. num. 14.* Azor. *tom. 1. Instit. Moralium lib. 11. n. 20. quest. 6.*

Probat. In nostro casu principaliter fuit promissum jejunium, secundario autem abstinentia à carnibus semper & pro semper uti promissa etiam fuit unica tantum comestio: ergo si in hoc casu comesta semel carne non amplius potest servari jejunium, etiam non amplius dabitur obligatio abstinenti à carnibus. Subsumo, sed semel comesta carne pro illa die non amplius potest servari jejunium: ergo neque dabitur amplius obligatio ad abstinentiam carni. Prob. prima consequentia. Quando duo

sunt promissa, ut unum illorum sit principale, alterum verò duntaxat accessorium, corrumpente obligatione ad principale, etiam corrumpit accessorium: ergo &c.

Confirmat. Etiam juxta adversarios comesta semel carne non datur obligatio ad omissionem secundæ refectio- nis: ergo &c. ideo enim non obligatur ad omissionem secundæ refectio- nis, quia hæc est dependenter à jejunio tantum promissa, je- junium autem non amplius ob- servari potest.

Respondent Adversarii, jeju- nium in hoc casu adhuc esse possibile; sed contra est: ut ser- vetur jejunium est essentialiter necessaria unitas refectio- nis cum abstinentia carni; sed semel comestis carnibus, vel sumpta altera refectio non amplius est pro tali die possibile, ut ali- quis tota die abstineat à carni- bus: ergo impossibile est, ut pro illo die amplius observetur jeju- nium.

Confirmatur. Si post semel comestas carnes adhuc jeju- nium pro tali die servari posset, tunc adhuc daretur obligatio ab- stinenti à secunda refectio- ne

quæ

quæ necessaria est, ut detur jejunium: sequela est falsa: ergo &c.

Qui vovit se tota die non gustaturum vinum, si sæpius per diem bibat, prima tantum vice peccat. Ita Azor. Gobat, la Croix *de voto n. 465*. Ratio est, quia talem intendit abstinenti- am, qua dicere possit hodie non gustavi vinum, vino autem semel potio, non potest hoc dici.

Item juxta Sanchez *cap. 11. n. 45*. Pasqual. *decis. 230*. Qui hodie vovit jejunare in pane & aqua, intendit tale jejunium, quo dicere possit: hodie præter panem & aquam nihil à me sumptum est; unde solum prima vice peccat, qui sæpius panem & vinum sumit. Qui vovisset, se hodie bibiturum solam aquam, toties peccaret, quoties alium liquorem biberet.

9 Objic. 2. Abstinencia à carnibus est ipsa partialis essentia jejunii: ergo non potest dici, quòd dependenter à jejunio fuerit promissa, quia nihil potest à se ipso dependere, sed ab altero. Resp. Ex hoc sequi, quòd abstinencia carnium præcisè promissa fuerit in quantum est ali-

qua pars essentialis promissi jejunii, non autem ut aliquid in se & seorsim spectatum, atque à toto distinctum: ergo si totum est factum observatu impossibile, etiam non dabitur obligatio ad abstinenciam ulteriorem carni- um. Confirm. Qui vovit con- structionem integri ex variis sta- tuis confecti altaris, si hoc non potest procurare, etiam statuas procurare non debet: ergo &c.

Resp. 2. Nos dixisse absti- nentiam carnium semper & pro semper esse promissam depen- denter à jejunio, seu in quan- tum est aliquid ad hujus essenti- am necessarium.

Objic. 3. In hoc casu adhuc possibilis est observatio editi vo- ti: ergo &c. Prob. antec. est ad- huc possibilis ulterior abstinencia carnium: ergo etiam observatio voti. Prob. conseq. jejunium præcipit: *Ne comedas carnes, & de aliis cibis semel tantum in die co- medas*: ergo abstinencia jejunii est adhuc possibilis. Prob. con- seq. hoc præceptum: *Ne comedas carnes*, est negativum obligans semper & pro semper: ergo eti- am pro cæteris partibus diei est possi-

possibilis. Resp. neg. antec in hujus probatione conc. antec. neg. conseq. in hujus probatione dist. antec. jejunium vult, ut non comedamus carnes, si velimus, & adhuc possimus observare jejunium: conc. si non possumus ulterius servare jejunium: neg. antec. & conseq. cum ex dictis essentia jejunii consistat in abstinentia carniū, si præcipitur pro aliquo die jejunium, etiam præcipitur abstinentia carnis, sed in tantum in quantum est necessarium ad jejunium: qui igitur potest, & tenetur observare jejunium pro aliquo die, necessario debet semper & pro semper abstinere à carnibus.

**11** Objic. 4. Qui vovet se die Mercurii nunquam bibiturum vinum, licet jam semel biberit, in posterum tamen tenebitur abstinere à vino, ergo etiam qui vovit, se nunquam comesturum carnes, licet semel comederit, tamen tenebitur in posterum abstinere. Resp. neg. antec. quia semel sumpto vino non amplius potest observare votum, quod dicebat se nunquam bibiturum vinum.

Dices: qui vovit se pro nulla

diei parte bibiturum vinum, ille semel sumpto vino tenetur in posterum abstinere: ergo idem de carnibus tenendum. Prob. conseq. jejunium dicit abstinentiam carniū pro singulis horis diei, quia semper & pro semper. Resp. disparitatem esse, quod abstinentia vini in se & directe fuerit volita, non autem abstinentia carniū, cum hæc sit volita, uti est constitutum jejunii, quod fuit promissum.

Objic. 5. Qui die, quo jejunium ab Ecclesia fuit præscriptum, semel carnes comedit, adhuc est obligatus ad ulteriorem abstinentiam carniū: ergo etiam noster Cajus erit ad hoc obligatus. Prob. conseq. quando aliquis promittit rem ab Ecclesia aliàs præcipi solitam, tunc in dubio ejusmodi votum est explicandum juxta obligationem talis præcepti Ecclesiastici: præsumitur enim talis vovens se voluisse obligare ad omne & solum illud, quod aliàs Ecclesia præcipit: ergo, si die esuriali comedens carnes adhuc est obligatus ad ulteriorem abstinentiam carniū, etiam vovens noster Cajus erit obligatus. Resp. dist. ant.

ta-



talis est adhuc obligatus ad abstinentiam ulteriorem carniū vi præcepti imponentis jejuniū, neg. antec. vi alterius cuiusdā præcepti imponentis præter jejuniū abstinentiam à carnibus conc. antec. & neg. conseq. scimus dari præceptum Ecclesiasticum imponens pro singulis diebus Veneris & Sabbathi abstinentiam à carnibus sine jejunio. Quando igitur Ecclesia pro aliquo die imponit jejuniū, præceptum hoc est virtualiter duplex: una pars imponit jejuniū, consequenter abstinentiam carniū & secundæ refectionis: altera verò illius pars vult, ut si jejuniū non possit servari, saltem observetur abstinentia à carnibus. Qui igitur semel comedit carnes, non tenetur abstinere deinceps à carnibus vi præcepti jejuniū imponentis, sed vi alterius imponentis abstinentiam à carnibus separatam à jejunio. Quæ omnia ex eo probamus, quòd Confessarii illos, qui se accusant de fracto jejunio, interrogent, an comedendo carnes, vel sumendo secundam refectionem peccaverint, quod non foret opus,

si non esset virtualiter duplex præceptum.

Objic. 6. Palao de voto disp. 13 2. pu. 10. n. 15. de ratione jejunii Ecclesiastici est unica tantum refectionis & abstinentia à carnibus in omnibus illius diei horis: ergo vovens jejuniū vovet non comesturum amplius quàm semel, & in nulla illius diei hora carnes: ergo quacunque hora illius diei comedet carnes, peccat, quia esto violaverit jejuniū, non violavit omni modo, quo potest. Resp. dist. antec. est illa abstinentia, ita tamen, ut obligatio abstinentiæ à carnibus pro omni hora dependeat à negatione jam semel comestæ carnis. conc. antec. ita, ut ab hac negatione non dependeat neg. antec. & conseq.

Contra est 2. Hoc dicitur absque ullo firmo fundamento. Probatur, ex præcepto Ecclesiæ colligitur contrarium, & illi assimilari debet votum. Prob. in præcepto jejunii abstinentia duplicis refectionis annectitur abstinentiæ à carnibus; sed non contra; quia excusatus à carniū abstinentia, excusatur à duplici comestione, non tamen

F f

ex-

excusatus à duplici comestione est excusatus à comestione carni-um.

14 **Objic. 7.** Si hoc præceptum est virtualiter duplex, etiam jejunium erit virtualiter duplex: ergo adhuc erit obligatus ad ulteriorem abstinentiam. **Prob. conseq.** Qui vovet rem aliquam ab Ecclesia præcipi solitam, in dubio præsumitur velle omnia illa, quæ ab Ecclesia solent præcipi, ergo si hæc præcipit duo distincta, uti prius diximus, etiam vovens jejunium promittit talia duo distincta, consequenter vovet abstinentiam carni-um prout est pars jejunii: dein eandem etiam promittit secundum se solam acceptam. **Resp. dist. antec.** si præceptum istud Ecclesiæ, quatenus est præceptum solius jejunii est virtualiter duplex, tunc etiam hoc votum Caji erit tale conc. si hoc præceptum non ut est jejunii præceptum, est duplex, tunc etiam votum erit, negatur antec. & conseq. vel dist. conseq. ergo etiam hoc votum erit ita virtualiter duplex, si constet, quòd ad aliquid plus, quàm ad solum jejunium voluerit se obligare, vel quòd ad om-

ne id voluerit se obligare, quòd Ecclesia diebus esurialibus præcipit, conc. conseq. si de hoc non constet neg. conseq.

**Objic. 8.** Non est certum sed dubium, quòd Cajus se non obligaverit ad omne id, quòd Ecclesia diebus esurialibus præcipit: ergo manet adhuc argumentum. **Prob. conseq.** in dubio præsumendus est voluisse omne id, quòd Ecclesia diebus esurialibus præcipit: ergo, si hoc utrumque præcipit, etiam vovit. **Resp. neg. antec.** quia certum est, quòd solum jejunium promiserit: ergo si abstinentia carni-um semper & pro semper etiam post comestas carnes continuanda non est de essentia jejunii, istam non promisit.

Aliud scilicet est dubium de intentione voventis quoad hoc, utrum ista duo, abstinentiam scilicet carni-um & jejunium per modum unius promiserit, & aliud non satis perspectum esse, ad quidnam supposita intentione promittentis hæc duo per modum unius Cajus noster vi sui voti obligetur. Primum negamus esse dubium, consequenter neque juxta praxin  
adæ.

adæquati præcepti Ecclesiastici obligabit, secundum licet dubium sit, probavimus tamen sufficienter eandem non obligari ad ulteriorem abstinenciam carni-um, postquam istas jam semel comederat. Cùm omnis ex voto proveniens obligatio juxta intentionem votantis sit explicanda, quæ, uti diximus, directè jejunium, indirectè autem abstinenciam à carnibus semper & pro semper promiserat.

Confirmatur. Juxta ipsos Adversarios dubium est, utrùm præter abstinenciam carni-um, prout hæc est pars jejunii, etiam promiserit illam secundum se acceptam, violatò quoque jejunio observandum: ergo potius dicendum est, quòd priori duntaxat modo, & uti est pars jejunii, promiserit. Prob. consequenter juxta commune principium obligatio votorum est potius latè accipienda quàm strictè tanquam præjudicans libertati: ergo &c.

16 Objici 9. Si abstinencia carni-um foret promissa ut dependens à jejunio, etiam foret promissa ut dependens à negatione duplicis refectio- nis, consequenter si duplex refectio esurialis fu-

isset sumpta, licitum foret eidem comedere carnes: sed non fuit promissa ut dependens à duplicis refectio- nis abstinencia. Prob. min, abstinencia carni-um prout est inducta ab Ecclesiastico præcepto non dependet à negatione duplicis comestio- nis, sed hæc potius à comestione carni-um: ergo. Prob. antec. qui die esuriali comedit carnes est liber ab omissione secundæ refectio- nis, non autem vicissim à carni-um abstinencia liberatus est, qui bis comedit cibos esuriales. Resp. solutionem hujus objectionis constare ex dictis.

Objic. 10. Ponamus, quòd<sup>17</sup> aliqua communitas promiserit jejunium in profesto Immaculatæ observandum, non potest dici, utrùm senes aliàs exempti à jejunio & pueri teneantur jejunare, vel non? Resp. Si civitas voluit simpliciter omnes obligare, fore omnes senes & pueros obstrictos: si autem voluit obligare illos duntaxat, qui die esuriali Ecclesiastico debent abstinere, erunt prædictæ personæ exemptæ.

Objic. 11. Ex nostra senten-<sup>18</sup> tia sequitur, quòd votans jeju-

nium in pane & aqua non teneretur abstinere à carnibus, si non haberet tantas vires, ut in pane & aqua posset jejunare: hoc est autem contra omnes: ergo &c. Prob. sequela. Abstinenciam à carnibus promisit in quantum est pars constituens jejunium in pane & aqua: ergo si tale non potest observare, etiam à comestione carniū erit exemptus. Resp. neg. antec. in hujus probatione neg. denuo antec. Ordinariè enim & communiter vovemus jejunium, prout hoc dicit abstinenciam à carnibus, & à secunda refectione, abstinencia autem à cibus aliis, quàm à pane & à vino vovemus tantum accessoriè ad abstinenciam à carnibus: corruente autem accessorio, non hoc ipso corruit principale: ergo adhuc est obligatus ad abstinenciam à carne, & secunda refectione.

Quòd si autem verè hæc omnia per modum unius indivisibilis totius vovisset, non foret obligatus ad abstinenciam carniū & secundæ refectionis.

19 Objic. 12. Aliquis vovit, quòd nudis pedibus velit tendere Oettingam, postea autem

non potest nudis pedibus illuc se conferre, talis juxta communem tenetur ad peregrinationem Rhedâ instituendam, juxta nostra autem principia non teneretur. Prob. Talis vovit peregrinationem non quomocunque, sed in quantum est pars peregrinationis tali modo, nudis scilicet pedibus peragendam, qualiter tamen eandem obire non potest: ergo non tenetur Rhedâ illuc se conferre. Prob. etsi vehatur Rhedâ, tamen non potest illud totum à se intentum, id est peregrinationem nudis pedibus factam obtinere: ergo non tenetur. Prob. conf. quando quis plura promisit in ordine ad unum, seu unum ut dependens ab altero, si cessat, & corruit principale, cessat juxta nostra principia etiam accessorium.

Resp. Quòd iter pedibus nudis conficiendum sit accessorium, ipsum autem iter simpliciter hoc vel illo modo instituendum sit principale, quod in tali casu non corruit.